

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae
Religionis Capitibus Disputationes XV.**

Calixt, Georg

Helmestadii, 1658

VD17 VD17 3:303575N

Dispvtatio XII. De ecclesia

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](#)

DISPUTATIO XII.

DE ECCLESIA.

THEISIS I.

Ecclēsia ἡ ἐκκλησία ab evocando sive congregando dicta, cōtum & concionem sive congregatiōnem significat, propriè quidem quamlibet: nam & Græci suas Ecclesias & Agoras habuerunt; & in scripturis non tantum mentio sit ecclesiæ piorum, verū etiam ecclēsia malignantium Ps. xxvi, 5; & ecclesiæ confusæ Act. xix, 32. Λογοθέτης εἰκασία συγκεχυμένη. Item v. 29. Εἰ τὴ εἰρήνη εἰκασία in legitimā ecclēsiā. v. 40. ἀπέλυσε τὴν εἰκασίαν, dimisit ecclēsiā. Proverb. v. 14 habetur utrumque Hebræum vocabulum, quod huic solet in sacris æquipollere: unum autem à ἥρα alterum à γυναι de scendit. בְּתוֹךְ הַרְבָּה לXX: וְעַזְוֹבֶת εִקְאַשְׁתָּא כְּנֵסֶת עֲזָזָבָה. In medio ecclēsiæ & synagoge.

II. Ab hac generali significatione translata est ad magis strictam, juxta quam accipitur pro collectione hominum religionis ergo ad cultum divinum & propriam salutem per verbi prædicationem congregatorum.

III. Verū in hoc quoque sensu aliquando sumitur ecclēsia generalissimè, nimirūm pro universo Dei populo, sive is in terris adhuc degat, sive è terris evocatus perpetuam vitam in celis vivat.

IV. Rectè enim ecclēsia distinguitur in Militantem, quæ in hac peregrinatione contra carnem, mundum & Satanam decertat; & Triumphantem, quæ in cœlesti patriâ de hostibus hisce per Christum devictis beata

VOCABU-
LUM EC-
CLESIAE.

ECCLE-
SIA MI-
LITANS.
TRIUM-
PHANS.

278 DE ECCLESIA MILITANTE.

triumphat. Perperam adjungunt Pontificij tertiam, quæ alicubi purgatorijs tormentibus crucietur & expiatur. Verum suo loco cum quid de hac sentiendum sit videbimus, tum quis cultus debeatur a nobis triumphanti isti, de qua indubie loquitur Paulus, cum verba facit de Ecclesiâ gloriosâ non habente σπ̄ιλον ἢ ἡγεμόνα ἢ π̄ τῶν τούτων, sed sanctâ & immaculatâ, Eph. v, 27. Nam talis alioquin hac in vita non datur.

V. Nunc de Militante tractabimus, quæ consideratur, vel ut est in oculis solius Dei; vel ut etiam est adspectabilis hominibus. Hanc visibilem solemus appellare; illam invisibilem.

INVISIBILIS.

VI. Invisibilis est cœtus verè credentium, & finem fidei, h. e. animarum salutem consequentium. Dicitur autem invisibilis, propter fidem & electionem, quæ humanis oculis inserviæ a solo Deo verè & propriè conspiciuntur. Solus enim Deus novit cor omnium filiorum hominum, I Reg. lxxix, 39; & qui sunt sui, II Tim. II, 19. Nam vita sanctorum est abscondita cum Christo in Deo, Colos. III, 3. Et regnum Dei non venit cum observatione uerae θεοτητος, Luc. xvii, 20. Deinde invisibilis dicitur, quoniam hi ipsi ad eam saxe paucitatem rediguntur, atque ita in obscuro latent, ut an sint aut ubi sint, homines sancti & pii nedum extra eorum numerum impii ignorent. Sic quam Elias unicum se superesse putaret, nihilominus Dominus sibi reliquerat 7000 virorum, qui genu Baali non inflexerant, I Reg. xliix, 19.

VISIBILIS.

VII. Visibilis dicitur propter prædicationem verbi & administrationem sacramentorum, quæ in oculos & aures incurunt.

IX. Hæc

IX. Hæc iterum vel est Universalis, nempe tota illa collectio veram religionem amplectens, quocumque tandem per orbem terrarum diffusa: vel Particularis, certo aliquo in loco consistens; sive regno; sive provincia; sive urbe; sive etiam domo & familiâ, cuius mentio Rom, xvi, 3 & 5; 1 Cor. xvi, 19.

UNIVERSALIS.

PARTICULARIS.

IX. Videlicet quoque ecclesia accipi pro pastori- bus & doctoribus ecclesiæ. Sic explicat Chrysostomus illud Matth. xix, 17, *Dic ecclesia*. Et ita accipiendo sine dubio, quod eunuchus & spurius ecclesiam Domini intrare prohibentur, hoc est, à sacerdotio sive ministe- rio ecclesiastico excluduntur. Deut. xxiii, v. 1 & 2. Ali- quando quoque pro loco, in quo congregaciones fiunt, exponitur, cum in auctoribus Græcis tum sacris; ut quando fœminis in ecclesiâ non permittitur loqui, sed jubentur tacere, 1 Cor. xiv, vers. 28, 34, 35.

X. Denique Ecclesia vel est V. Testamenti, col- lecta apud Patriarchas & in populo Judaico, (huic enim oportebat inseri & quasi ad censerri qui vellet membrum ecclie ecclesiæ) ante natum Messiam; vel Novi Testamenti, quæ à tempore missionis Apostolicæ usque ad finem se- culi in toto terrarum orbe congregatur. Hæc ecclesia N. T. etiam appellatur συναγωγὴ Jacob. 11, 2. Ἐπισυναγωγὴ Heb. x, 25. Falsum itaque est, quod dicit Bellarminus, populum N. Testamenti nunquam dici synagogam: quâ in re ut & in multis alijs nimiam fidem habuit Cano, qui dixerat, quod Christianam plebem nec scripture nec ullus um- quam probatus auctor synagogam appellasset.

ECCLESIA
V. TESTA-
MENTI.ECCL. N.
TESTAM.1,3 de Ecel.
c. i.

1,4. c. 2.

XI. De hac ipsa universalis visibili Novi Testa- menti ecclesiâ nunc nobis agendum erit.

XII. Dicitur in symbolo Constantinopolitano, Dicitur
Una

280 DE UNIVERSALI VISIBILI ECCLESIA.

UNA.

Una, Sancta, Catholica & Apostolica. UNA, quoniam servat unitatem spiritus per vinculum pacis. Unum est corpus (mysticum scilicet, in quo summa est membrorum coniunctio) & unus spiritus, sicut & vocati sumus in unam spem vocationis nostrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium, qui est super omnia & in omnibus. Eph. iv, v. 3, 4, 5 & 6. Quibus verbis docet Apostolus Ecclesiae unitatem adtendi tripliciter, secundum unitatem finis, nempe vitæ æternæ, quam speramus, & ad quam vocatis sumus: mediorum, fidei scilicet & baptismatis, per quæ ad illam perducimur, in quibus omnia ecclesiæ membra, ubiquecunque fuerint, communicant; quæ est illa in symbolo Apostolico κοινωνία ἀγίων: deum ratione primi principij, Dei vocantis.

S A N C T A.

S A N C T A, propter Christum sanctificantem; propter verbum & sacramenta, quæ sunt sancta & instrumenta nostræ sanctificationis; propter sanctitatem, quæ per fidem imputatur, quæ per novam obedientiam inchoatur & quæ speratur. Notandum est, quod & hoc & reliqua magnifica & gloria encomia, quæ de ecclesiâ frequenter in scripturis prædicantur, propriè referenda sint ad ecclesiam illam invisibilem, sive ad verè credentes, qui sunt in ecclesiâ visibili, ejusque pars præcipua. Denominatio itaque sit à parte potiore per synecdochen in sacris usitatam, cum quod vera discretio utriusque partis soli Deo relinquenda sit, tum quod caritas Christiana de omnibus fidem professis benè sperare iisque optima quæque adprecari jubeat. Sic Paulus quibus scribit, sanctos & fideles adpellat: Petrus genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam & populum acquisitionis. Nempe scripturæ mos est, ut docet Augu-

1. Ep. 2, 9.

DE UNIVERSALI VISIBILI ECCLESIA. 281

Augustinus, ita loqui de parte tamquam de toto; & contra. *Istam, inquit, consuetudinem, per omne corpus ejus cere- berrime sparsam, quisquis diligenter adverterit, multa dissol- vet, que inter se videntur contraria.*

CATHOLICA, quoniam collecta est ἐξ ὀλύτε κόσμου. **CATHO-**

Ecclesia V. Testamenti ordinariè collecta fuit in Palæ-
stinâ, & adligata populo Judaico. Psal. cxlvii, v. 19
& 20. Qui adnuntiat verbum suum Jacob, statuta sua & judi-
cia sua Israëli. Non sic fecit omni genti, & iudicia ejus non
cognoscunt. Nunc autem venit tempus, quando neque **Joan. 4, 22.**
in monte Garizim, neque Hierosolymis adoramus, sed
ubicunque locorum in spiritu & veritate. Nam sonus
Apostolorum exivit in omnem terram εἰς τὰ πέρι. &
τῆς οὐρανίων τὰ πρωταγόρων. Rom. x, 18.

APOSTOLICA itaque etiam vocatur, quoniam **APOSTO-**
superaedificata est (h. e. plantata, propagata, & conser-
vata) **super fundamentum Apostolorum & Prophetarum** (h. e. **Eph. 2, 20.**
doctrinam à Prophetis & Apostolis traditam & scriptis
comprehensam) existente summo angulari ipso Iesu Christo,
in quo omnis aedificatio coagmentata crescit in templum san-
ctum in Domino.

XIII. Hanc Ecclesiam hisce titulis insignitam de-
finimus cœtum hominum, qui Deum juxta ipsius ver-
bum colit, ab ipso collectus per ministerium Evangelij;
in quo legitimè docetur verbum & rectè administra-
tur sacramenta secundum institutionem Christi: in quo
quidem cœtu præcipua & potissima pars sunt electi se-
cundum præscientiam Dei, sive qui verè credunt & fidei
finem consequuntur, mixti tamen non sancti eamdem
religionem professi & præferentes, quos Deus ipse suo
loco & tempore discernet & segregabit.

**ECCLESIAE
DEFINI-
TIO.**

Nn

XIV. Caus-

CAUSSA
ECCLESIAE
PRINCIPALIS,
INSTRUMENTALIS,
FORMATIVS,
FINALIS.

NOTÆ EC-
CLESIAE.

XIV. Caussa princeps colligens & conservans

Ecclesiam est Deus Pater, Filius & Sp. S. Instrumentaria, per quam hoc sit, est Verbum; & Baptishaus, quo Ecclesiæ inserimur & membra ejus efficimur, & Sacra cœna quâ unimur, nutrimur & conservamur in æternam vitam. Ipsa formalis ratio Ecclesiæ est Deum agnoscere & debitè colere. Finis est gloria Dei, & salus animarum.

XV. Quoniam autem per prædicationem verbi & administrationem sacramentorum congregatur & conservatur, ipsius quoque est similes effectus edere, h. e. verbum prædicare & sacramenta administrare. Exemplum simile desideras? habitus per quales actiones adquiruntur, tales etiam, cum adquisiti sunt, edunt. Respub. per leges fundatur & conservatur.

XVI. Proximus itaque & proprius effectus, quia propriam arguit & proximam caussam, nec hæc rectius aut certius quam per suum proprium effectum cognosci potest, recte dicimus sinceram verbi prædicationem & legitimam sacramentorum administrationem infallibilis notas esse veræ ecclesiæ. Ex enim (quatenus actualiter sive pro officio sumuntur, non habitualiter, sic potius formam dixero) sunt proprij ecclesiæ effectus, qui convenient ei soli, & semper, & inseparabiliter, adeoque eam certò ostendunt & ab omnibus alijs coetibus distinguant. Nam de Sion exit lex, & verbum Domini de Jerusalem. Atque hoc est pactum Domini, quod pepigit cum eâ: Spiritus meus qui in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dixit Dominus, à modo usque in seculum. Inde colligit Ps. cxlvii, v. 19 & 20, Israëlem esse populum Dei, quoniam sciat verba

verba, statuta & judicia sibi à Deo indicata, quod alijs gentibus non contigerit. Inde dicit Christus Joan. Ix,
 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Joan. x, 27. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Paulus I I Thes. III, 6. *Subducite vos ab omni fratre, qui inordinate se gerit, & non ex traditâ doctrinâ quam accepit à nobis.* Nam *ex fructibus h. e. dogmatibus eorum cognosetis eos,* Matth. VII, 16. Quæ igitur ecclesia vocem Christi audit, & gerit se ex traditâ doctrinâ, vera est ecclesia, nempe Christiana. Quod enim Christiano convenit, quatenus Christiano, hoc etiam ecclesiæ, quatenus talis est conveniet. Et quidnî nos de ovibus Christi judicemus, quemadmodum ipse eas judicare & discernere docuit? Sic A&t. II, 42 illi colliguntur membra fuisse veræ ecclesiæ, qui erant perseverantes in doctrina Apostolorum & in communicatione & fractione panis & in preciis. Sic Paulus Rom. x, 14 nullam invocationem, nullam fidem esse concludit ubi nulla sit prædicatio. Et quidnî sicut ecclesia V. Testamenti circumcisione & esu agni Paschalis à gentibus distinguebatur, sic quoque Novi Testamenti ecclesia Baptismo & usu Sacrae cœnæ cognoscatur & discernatur?

XVII. Quamquam solus usus sacramentorum sine prædicatione verbi non sufficit, ut sit nota ecclesiæ: nam & Idumæi circumcidebantur, & hodiè hæretici baptizantur.

XIIX. Imò sola verbi doctrina sicut ecclesiam constituere potest, sic quoque ostendere. Ubi ipsa non est, ibi vera ecclesia esse non potest.

XIX. Usus autem sacramentorum non est ita simpliciter & absolutè necessarius, quum incumbente

Nn 2

neces-

DE NOTIS ECCLESIAE.

284

fol. 5. necessitate impediti possit, & circumcisio per XL annos peregrinationis in deserto suspensa fuerit.

XX. Verum hoc perpetuum & universale est,
March. 18. ubicunque duo vel tres congregati sunt in nomine Christi, h.e.
20. nomen Christi invocant, & Christi doctrinam tractant, ibi ipse est in medio eorum.

XXI. Quando enim de notis agimus, agimus de particularibus congregationibus præcipue. Nam licet universalis ecclesia eodem modo generetur, conservetur & operetur, quo particulares; ea tamen, sicut invisibilis quoque per universum orbem dispersa, nullique certæ sedi adligata creditur potius quam sentitur.

XXII. Particulares autem sensu comprehenduntur; earumque notæ ideo traduntur, ut scire liceat, an partes sint istius sanctæ, Catholicae & Apostolicae, & an tutum sese illis adjungere & committere.

XXIII. Nos nostras notas proposuimus & probavimus, scilicet sinceram prædicationem verbi & sacramentorum administrationem, ex quibus tanquam proprijs effectibus propriam caussam, & vicissim ex ijsdem, alio tamen modo consideratis, tanquam caussis effectum certò & infallibiliter demonstrare oportet.

BELLARMINI NOTÆ ECCLESIAE. XXIV. His notis rejectis Bellarminus lib. IV de ecclesiâ militante quindecim alias substituit, atque ex ijs argumenta pro Romanâ ecclesiâ ducit, quas breviter examinabimus.

XXV. Primum autem accipimus, quod ipse cap. 2, ubi nostras notas refellere conatur, recte & bene dicit, *notas debere esse proprias, non communes.* Si enim, inquit, *velim tibi designare certum hominem, quem nunquam vidisti*

vidisti, ut mox atque eum videris discernas ab alijs, non debo dicere, est quidam, qui habet duos oculos, duas manus &c. Secundò notæ debent esse notiores è re, cuius sunt notæ. Tertiò veræ notæ sunt inseparabiles à verâ ecclesiâ. Has inquam tres notarum conditiones agnoscimus & accipimus.

XXVI. Jam prima nota Bellarmini est Nomen. Romana ecclesia dicitur Catholica. E.est. Quasi nomina semper certo iudicio, non ferè ex communi more & ad-suetudine imponantur, utin tantâ re argumentum petas à nomine, quod tibi tuâ opinione vindices, alius non nisi εἰρωνεῶς aut certè distinctionis ergo tribuat. Donatistæ ad eundem modum ut nunc Pontificij se Catholicos vocabant, & libellum Constantino exhibendum inscribebant: *Libellus ecclesiæ catholicæ criminum Cæciliiani, traditus à parte majore.* II. Antiquitas. Sed hæc nota in quam conditionem non impingit? Ecclesia Judæorum & paganorum antiquior est quam Christiana. Antiochena & multæ aliæ ipsa Romanâ. Et si aliqua ecclesia antiqua, quomodo hoc ijs, qui ecclesiam querunt, certò constabit? Hamano populus Judaicus novis videbatur uti legibus & ceremonijs. Et nulla ecclesia initio antiqua. Denique nos dicimus, nostram ecclesiam antiquam esse, quoniam retinet doctrinam antiquam. III. Duratio. Credere ecclesiam Catholicam perpetuam fore, pars fidei nostræ est. Sed hîc agimus de notis particuliarum; quid de singulis futurum sit in posterum, ignoratur. Porro ecclesia malignantium etiam durabit usque ad finem mundi; & fortè Ariana quoque & Mahomedana. Postremò vera fuit ecclesia Hierosolymitana, Antiochena, Alexandrina & multæ aliæ, quibus tamen

August. E.
Pist. 48.

Eth. 3.

Nn 3

duratio

duratio illa non obtigit. IV. Amplitudo. Sed annona
ampla fuit ecclesia Cainitarum, Chamitarum, Bahalita-
rum, Phariseorum, Arianorum, Donatistarum? Num
ampla fuit vera ecclesia occiso Abele, Nohā ædificante
arcam, Eliā solo suā opinione superstite, Phariseis im-
peritantibus, Apostolis latitantibus, Christo in crucem
acto? Num ampla erit, cum Christus *vix fidem reperiet*
in terris? V. Successio Episcoporum. Verū hanc quo-
que hodiè jactitare dicuntur usque à Thoma Indi, à Bar-
tholomæo. Æthiopes. Certè Constantinopolitani suc-
cessionem magis solidam & minus interruptam sibi ven-
dicare possunt quam Romani. Nicephorus ab Andrea

Luc. 13, 8.

lib. 8, c. 6.

Apostolo orditur, & in longum tempus producit; quam recentiores scriptores continuant. Nonne scribæ & Phari-
seijure successionis sedebant in cathedrâ Mosis? Deinde
cui nota illa successio, de quâ vix ipsis Pontificijs constat?
Demum cui successit Melchisedech? Cui successerunt
Apostoli in primitivâ ecclesiâ? cui succedunt, qui novas
ecclesias constituunt? cui inquam Mexicanus vel Goen-
sis Episcopus successit? VI. Conspiratio in doctrinâ
cum ecclesiâ antiquâ. Hæc convenit cum priore nostrâ.
VII. Unio membrorum inter se & cum capite. Unio
cum capite, si caput Christum esse vult, ecclesiæ invisibilis
potius quam visibilis nota est, & impingit in secun-
dam conditionem. Unio membrorum inter se, in pri-
mam; & si unio pro consensu in qualibet re intelligatur,
etiam in tertiam. Nam & inter Apostolos facta est con-
tentio, quis eorum videretur maximus, Luc. xxii, 24.
Paulus Petro in faciem restitit, Gal. ii, 11. Idem à Bar-
naba ortâ lite discessit, Act. xv, 39. IX. Sanctitas Do-
ctrinæ & IX. ejusdem Efficacia. Sed tum magis nota erit
ipfa

ipsa doctrina; nam ejus adseptiones quædam sunt sanctitas & efficacia. X. Sanctitas vitæ. Hæc ad invisibilem ecclesiam pertinet, & peccat contra secundam conditionem. Vera soli Deo innotescit. Homines per hypocrisim facile falluntur, quum & Satanæ se possit transformare in Angelum lucis, *1 Corin. xi, 14.* XI. Mira-cula; XII. Vaticinia ad nullam trium conditionum exactè quadrant. XIII. Adversariorum confessio raro habetur. XIV. Infelix exitus eorum, qui ecclesiam impugnant, impingit in conditionem primam & tertiam. Ut & XV. Felicitas temporalis, quam adjunxit Bellarminus, juxta illud Christi *Joan. xvi, 20.* *Amen, Amen dico vobis, vos plorabitis, & flebitis, mundus autem gaudebit.* & v. ult. *In mundo oppressionem habebitis.* Et hoc Pauli *1 Tim. iii, 12.* *Omnis qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.*

XVII. Hactenus de notis Ecclesiæ visibilis. In-
visibilis enim, sicut ostensum fuit, soli Deo cognita est. Certum autem est, & articulus fidei, Deum numquam non habiturum suam ecclesiam, à quâ agnoscatur & colatur. Et quoniam vera agnitus & cultus Dei nequit stare cum erroribus, qui fundamentum, hoc est, articulos fidei evertunt, certum quoque est hanc ecclesiam in fundamenta & articulos fidei minimè impingere; alioquin enim ecclesia non esset, quum de ejus essentiâ sit vera Dei agnitus & cultus.

AN ECCLESIA
ER-
RARE
POSSIT.

XXIX. Nihilominus super hoc fundamentum *1 Cor. 3, 17.*
edificare quis potest ξύλα, χόρτον, καλάμῳ, hoc est,
navos & errores rerum non simpliciter necessiarum,
quique religionem non destruunt. Omnia enim ho-
minum, qui ecclesiam constituunt, scientia est imper-
fecta.

ed anno
Babili-
n? Non
edificare
trifiles in
n. crucen
m reperi
hanc que
ndi, à Bo
litanii fu
m sibive
ab Andri
scit; quin
de & Pa
is Deni
is confite
cesserunt
qui nota
vel Goi
doctrin
re nolid
te. Uno
siz invi
in fecu
fe, in p
celligua
a eloc
XII, 14
em à Ru
dicas Do
notae
ipd

fecta. Neque ulla facta est promissio, fore ne umquam in ullo erret ecclesia. Ipseque Petrus libertatem Christianam & abrogationem legis ad tempus non intellexit. Act. x. Gal. 11. Denique manifestum est esse loca Scripturæ obscura, de quorum indubia interpretatione nihil certi ecclesia statuere possit.

XXIX. Quod autem adtinet particulares ecclesias, manifestum est, & experientia docuit, eas non tantum errare posse, verum etiam deficere, & planè extingui.

XXX. Nihilominus regni Christi nullus erit finis: neque portæ inferorum prævalebunt adversus ecclesiam, cui aderit ipse suâ gratiâ & virtute usque ad consummationem seculi. Catholica enim Christi ecclesia superstes esse potest, etiamsi particularis hæc aut illa intereat; imò etiamsi particulares omnes & universa visibilis ita adfligatur, ut amissâ externâ gloriâ & amplitudine quæ sit, aut ubi sit, non adpareat: ac potius publicè in oculis mundi ecclesia malignantium vera ecclesia esse videatur, quam illa quæ est reapse; & quidem non modò non plærique, sed ne ipsi quidem pij, ubi ecclesia lateat, agnoscant. Considerentur tempora ecclesiæ Israëliticæ sub impijs Regibus; dicta Jes. 1, 3. *Cognovit bos posse rem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël non cognovit, populus meus non intellexit.* Jer. 11, 26. *Confusi sunt domus Israël, ipsi, reges eorum, principes eorum, & sacerdotes eorum, & prophetæ eorum, dicentes ligno: Pater meus es tu.* Item tempora nati Christi, & passi & mortui; tempora persequutionum & longè lateque dominantis Arianismi, quando scripsit Hilarius: *Male vos parietum amor cepit, male ecclesiam Dei in tectis ædificiisque veneramini, male sub his*

Ep. cont.

Auxent.

bis pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est in his Antichristum esse sessurum? Montes mihi, & sylvæ, & lacus, & carceres, & voragini sunt tutiores. Demum prædixerat A-^{2 Thes 2,3.} postolus, magnam fore defectionem ante finem seculi, & in Apocalypsi habetur mulierem, quæ repræsentat ^{Ap. 12, 14.} ecclesiam, in solitudinem secessuram à facie Draconis. Falsum itaque est, quod docent Pontificij, ecclesiam omni seculo conspicuam & illustrem esse, ut possit quasi digito monstrari & dicier: hîc est.

XXXI. Cùm autem in hac materie disputamus ^{AUCTORI-}
contra Pontificios, præcipua & maximi momenti est con-
troversia, quæ hodie inter nos & ipsos agitatur, de Au^C-
toritate Ecclesiæ. Dicunt illi, convenire ei auctoritatem
magistrum & judicem fidei, eamque infallibilem, cuius
determinationibus omnes fideles oporteat esse obedi-
entes, simpliciter & sine ullâ disquisitione & examine.
Tantam autem auctoritatem residere non in omnibus
aut aliquibus ecclesiæ membris, sed in solo ejus capite,
quod volunt esse Romanum Pontificem, qui pro tem-
pore in vivis sit.

XXII. Disputationem hanc gravissimam, & si
ullo alio hoc certè seculo utilissimam esse, manifestum
est. Ostentant eam auctoritatem adversarij, tamquam
caput Gorgonis, cuius intuitu nos omnes in saxa & sili-
ces conversos iri rentur. Neque verò stultè agunt, qui
nutantem suo ingenio stabilire conantur: nam si hæc è
manibus excutiatur, quid nisi nudum latus penetrantissi-
mo Scripturæ gladio objicient? Quamobrem rectè sibi
suæque causæ consulunt, cum Scripturam ejusque in-
terpretationem à suâ ecclesiâ pendere dicunt, nempe ut
tantum auctoritatis & id sensus obtineat, quod & quan-

Oo

tum

290 DE AUCTORITATE ECCLESIAE.

tum à Pontifice concéderit. Occupata hīc habuere ingenia sua Joannes de Turre cremata Sum. de Eccles. Melchior Canus lib. iv Loc. Theolog. Thomas Stapletonus l. ix Doctrinal. princip. Bellarminus l. III de Verbo Dei cap. III & seqq. Gregorius de Valentia in Analyssi fidei; & Temo III in Thomam, disp. I, quæst. I, puncto 7, ubi quidem ex Analyssi cuncta repetit, & quædam se interdum addere dicit.

AUCTO-
RITAS
DUPLEX.

Eth. 3.
de leg.

XXXIII. Primo autem notari volumus, cùm Auctoritatem dicimus, dupliciter eam accipi posse: uno modo ut intelligatur auctoritas ad modum judicis, qui vivâ voce item dirimat, sententiam pronunciet, quam non liceat examinare, aut in dubium vocare; altero modo accipitur auctoritas ad modum normæ, regulæ sive legis, quæ infallibiliter quid docendum aut agendum sit proponat, & juxta quam de rebus dubijs judicium ferri opus sit, quicumque tandem sententiam concipiat & promulget. Confunduntur nonnunquam in vulgari sermone judex & norma: nam norma suo etiam quodam modo judicare videtur, judex autem ab Aristotele δίκαιος ἐμφύχος vocatur, & argutè Cicero Magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. Quamquam itaque rationes sint, ob quas unum alterius nomine venire possit, nos tamen in hac disputatione discrimen accurate servari volumus, & auctoritatem judicis ab auctoritate normæ cùm sensu tum vocabulis distinguimus.

XXXIV. Hisce positis dicimus in Ecclesiâ esse auctoritatem infallibilem circa articulos fidei & universam doctrinam saluti nostræ necessariam posteriore modo, nempe ipsam S. Scripturam θεόπνευστην; neque opus esse auctoritate peculiaris judicis, qui præterea vivâ voce seq.

sententiam promulget, singulis aut omnibus proponat, quum cuique normam istam in medio positam in manibus omnium versantem adhibere liceat, & videre, num ad eam convenient, quæ in negocio religionis & de ijs quæ ad salutem scire oportet, dicuntur, docentur & disputantur. Nam in ijs, ut Augustinus scribit, & nos suprà ^{de doct.} disputatione quartâ pluribus probavimus, quæ aperte in ^{Christ. c. 9.} scripturâ posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi. Sic si Princeps in medio foro perspicuis verbis & usitato stylo mandatum proponat & adfigat, ne quis in urbe gladium gester, in plateis tumultuetur, digladietur; aut quid simile prohibeat, sive quid aliud præcipiat, num opus erit, ut suum vicarium adjungat, qui vivâ voce idem pronunciet? Nonne omnibus licet adire, legere & mentem Principis cognoscere?

XXXV. Quatuor utitur argumentis Gregorius, quibus ille auctoritatem judicem doctrinæ evincere conatur. Primum est à providentiâ divinâ: Nisi exstaret hujusmodi auctoritas, non satis prospectum esset hominibus de necessarijs ad salutem. Alterum à conditione humani ingenij: Mens nostra ipsa per se doctrinam fidei & revelationem divinam pervestigare non potest. Tertium ex naturâ ipsius fidei, quam opus sit niti infallibili testimonio. Quartum ex necessitate danandi hæreses in Ecclesiâ. Sed omnium horum argumentorum consequentiæ invalidæ sunt, si torqueantur ad evincendam auctoritatem judicem, in quem tamen finem ille proposuit. Nam alterutram auctoritatem in ecclesiâ oportet esse, vel judicis vel normæ; & modò posterior præstò sit, concidet vis argumentorum: hæc enim, quidquid prior illa præstare posset, præstabit, ejusq; ratione sat

Oo 2

tis

tis prospectum erit hominibus; hac proponitur ijs do-
ctrina salvifica, ne ipsi opus habeant investigare; huic
tamquam divinæ innititur fides; hac damnantur haereses
& opiniones omnes, quæ non quadrant ad ipsam.

XXXVI. Scripturæ autem auctoritatem divi-
nam esse non audet jam ille aut quisquam ejus se est hoc
minum apertè negare: quamquam dum ita eam ab ec-
clesia pendere volunt, ut sine hujus testimonio nulla
ipsius foret auctoritas, num seriò rem agunt, & senten-
tia est, qualis oratio? Nam quod divinum est, per se &
à se non ab alio auctoritatem habet. Notanda tamen
sunt, quæ scribit Valentia: *Cum doctrinam hanc Spiritu
sancto dictante esse à sacris auctoribus exceptam, litterisque
mandatam dicimus, non utcunque significare volumus Spiritu
sancto dirigente sacros autores illam infallibiliter scriptisse.
Sed autores canonicos scribere sp. sancto dictante ob eam rem
propriè dicimus, quoniam in doctrinâ scripto tradendâ sic illo-
rum opera S. S. utitur, ut in eo quidem negotio non tam illi
agant, quâm agantur à S. S; plane instar calami, cùm usurpa-
tur à scriptore.* Deinde hujus rei duas reddit rationes.
Scriptorem, inquit, agi potius à Sp. S. quâm agere adserimus
primò propter facilitatem, quâ is Sp. S. docente ac dirigente
cognoscit ac scribit omnia etiam minutissima verissime. In
transcursu hinc colligo, secundum Maccabæorum non
esse scriptum auctoris canonici: nam is, ut ipse fatetur,
c. 2, v. 27. abbreviandi ex Iasone Cyrenæ adsumit sibi laborem non fa-
cilem, sudoris autem & vigilie negotium, sicut qui parat con-
vivium in multorum gratiam laborem sustinet. Non igitur
jer. 36, 18. loquebatur ex ore suo, quasi legens omnes sermones istos, ut de
Jeremiâ principibus Israëlis respondit Baruch. Quo loco
significat, inquit Valentia, perinde fuisse facile Jeremiæ sp.
S. sug-

Si suggestente illa omnia pronunciare, atque est omnino aliquam scripturam simpliciter legere. Altera ratio est, quia Scriptor canonicus est sponte quidem scribat, at scribit tamen omnia necessariò, ita ut (Sp. S. sic efficaciter volente) minimè in ipsis arbitrio sit possum aut non scribere, aut alio modo, alio tempore, alijs verbis scribere. Hæc ex Valentia adnotasse libuit.

XXXVII. Esto itaque in confessio, habere nos in ecclesiâ infallibilem auctoritatem normæ, ad cuius præscriptum doctrinam institui, conferri & examinari, controversiasque, si quæ de doctrinâ oriuntur, decidi oporteat.

XXXIX. Sed quis erit, dicent, qui hanc normam adhibeat, & num ad eam quæ docentur & disputantur convenienter, dijudicet? Non adfirmamus quidem nos, omnia ecclesiæ membra æquè huic rei idonea, paribusve donis instructa esse; neque negamus ijs qui se eximio quodam ingenio præditos agnoscunt, præcipue incumbere, ut linguas & disciplinas addiscant, quod in scâris litteris legendis & intelligendis promtiores, quætionibusque & disputationibus cognoscendis aptiores evadant: in primis, qui publico officio funguntur, & divinitùs in istâ quasi statione collocati sunt, toti in eo esse debent, cum ut ipsi religionem ejusque capita & fundamenta intelligent, tum ut alijs explicare possint, si qui sint qui hærent, & quæ ipsi non adsequuntur, sibi endari petant. Huc pertinet illud: *Interroga sacerdotes legem.* Item: *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est.* Hoc etiam quod scribit Paulus: *Quosdam posuit Deus in ecclesiâ primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, inde virtutes, exinde dona curationum, opitulationes, gubernationes,*

J U D E X
C O N T R O
V E R S I A
R U M .

Hagg. 2, 12.

Maiach. 2,

7.

1Cor. 12, 28.

294 DE JUDICE CONTROVERSIARUM.

nations, dona linguarum. Num omnes Apostoli? num omnes Prophetae? num omnes Doctores? Nam si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Non potest autem oculus dicere manui: Te miki opus non est; aut caput pedibus: Non estis miki necessary. Quod verò alter alteri subvenire debeat, si in ullo alio, in hoc præcipue negocio vitam & æternam salutem adtinente, Christianæ caritatis præscriptum est, quod pluribus sequente capite prosequitur Apostolus. Ad hunc modum Deus imbecillitati humanæ prospectum esse voluit, ut apud alterum reperire datur, quod quis in semetipso desideraret.

XXXIX. Dicimus itaque *primò*, et si in ecclesiâ aliis alium consulat, et si unus aut plures in negocio religionis quicquam determininent, non tamen illis, qui cumque tamdem fuerint, fidem habendam esse propter quamdam in ipsis residentem auctoritatem, secundum quam ut judices pronuncient, sed quoniam declarent & demonstrent ad normam S. scripturæ quadrare hanc sententiam, non aliam. Dicimus *secundo*, neminem ab hoc doctrinæ & sententiâ examine excludi, sed licere unicuique, immò debere unumquemque doctrinam, quam vel tamquam certam indubitatò adseri vel tamquam incertam in dubium vocari audiat, ad sacrosanctam Scripturæ regulam comparare, examinare, ut ei hoc aut illud convenire non tantum alijs credat, sed ipse perspiciat, & apud animum suum certus sit. Nonnulli, ut modò explicavimus, domi suæ habent ea adminicula, quibus ad istam rem opus est: alijs versiones legere licet; alijs suos doctores consulere, eosque ex scripturâ probantes aut reprobantes audire. Atque in hunc finem dedit Deus ecclesiæ suæ doctores & pastores,

ut per-

DE JUDICE CONTROVERSIARUM. 295

tat perveniamus omnes in unitatem fidei & cognitionem Filii Dei, Eph. 4,4.
in virum adultum, ad mensuram plenae staturae Christi, ne si-
mus amplius pueri, qui fluctuamus & circumseramur quo vis ven-
to doctrinae.

XL. Quod primo loco posuimus, nempe deter-
minationibus ecclesiæ constare auctoritatem suam, quæ
conveniunt ad sacram scripturam; & per consequens
ecclesiæ auctoritatem à scripturæ auctoritate dependere
eaque inferiorem esse, non contra: id partim quartâ
disputatione probavimus, partim etiam hoc loco pro-
bandum nobis erit. Jesaias manifestò: *Ad legem & ad c. 8, v. 20.*
testimonium: nisi dixerint juxta verbum hoc, non erit eis au-
rora. Ecclesiæ itaque prælatis fides habenda, quatenus
juxta verbum hoc pronunciant. Servator ipse ad Ju-
dæos in hunc modum: Ego testimonium habeo maius testi-
monio Joannis. Quodnam illud testimonium sit statim
subjungit; triplex autem facit. Primò dicit: Opera quæ
ego facio, testantur de me, quod Pater miserit me. Secundò:
Et qui misit me Pater, testatus est de me. Tertiò: Scruta-
mini scripturas, & illæ sunt, quæ testantur de me. Hinc colligo,
si scripturæ testimonium majus est testimonio Joannis,
majus etiam erit testimonio ecclesiæ, sive testimonio Pon-
tificis, in quo tamquam in capite ecclesiæ auctoritatem vo-
lunt residere. Idem colligimus ex protestatione, quam in-
terponit Paulus: Etiam si nos aut Angelus è cœlo evangélizet
vobis, præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema esto.
Ergo si doctrinæ à Paulo traditæ ipsius Pauli imò Angeli
è cœlo auctoritas cedere cogatur, eidem etiam cedet
& concedet auctoritas ecclesiæ & Pontificis. Eph. 11,20.
docet ecclesiam ædificatam super fundamentum, hoc est,
doctri-

joan. 5,36.

37.

39.

Gal. 1,8.



296 DE AUCTORITATE ROM. PONTIFICIS.

doctrinam Prophetarum & Apostolorum, quam illi scriptis nobis reliquere. E. fieri non potest ut illius major sit auctoritas, quam hujus.

AUTORI-
TAS ROME.
PONTIFI-
CIS.

XLI. Porro redarguendis sunt hoc pacto. Dicunt auctoritatem infallibilem judicandi ecclesiæ semper præsentem esse, nimirum in Rom. Pontifice: eum autem in explicandâ doctrinâ fidei consulere debere Sacram scripturam; sed non eam solam, verum Traditiones quoque, Concilia, Consensum doctorum & fidelium. Vide Greg. de Valentia 111 in Thom. disp. 1, quæst. 1, punct. VII, §. XLIII. Quæro nunc, an hoc verum sit de Pontifice, & quare verum sit. Proferunt illico verba Christi ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* Rectè. Ergo auctoritas Pontificis per auctoritatem scripturæ, & quidem quod ad nos, innoscet & probatur; & hac con sequenter inferior est. Si hoc autem de Pontifice verum est, verum etiam erit de universâ ecclesiâ, quum ab ipsis ad unum Pontificem quidquid excellentiæ toti ecclesiæ competit, referatur. Non potest hoc negare Valentia: nam postquam protulisset locum Augustini, qui ait: *Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis sanctam ecclesiam demonstrari;* mox subjungit ille: *Quia nimirum scriptura est, que quibusdam in locis clarissimè (non enim ubique planè obscura est) nobis eas ecclesiæ proprietates indicat, ex quibus illa tamquam ex notis probari debeat.* Quod præterea Traditiones & Concilia juxta Scripturas ponunt, & cum ijs locum normæ, ad quam respicere oporteat, habere volunt, itidem ex scripturis probant se rectè facere. De Traditionibus quidem, Joan. XVI, 12. *Multa habeo vobis dicere &c.* 11 Thes. 11, 15. *Fratres, tenete traditiones, quas accepistis.* De Concilijs & Doctoribus, Luc. x, 16.

Qui

§. 19.
de unit. ec-
cles. c. 3.

DE AUCTORIT. ECCLES. CIRCA SCRIPT. 297

Qui vos audit, me audit. Matth. xix, 20. Vbi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ego ero in medio eorum. Joan, xvi, 13. Spiritus veritatis deducet vos in omnem veritatem. Dico itaque, ponant Pontificij auctoritatem Ecclesiae & Pontificis in determinando quam velint; ponant etiam normas quas velint: ipsi tamen haec omnia ex scripturâ probantes demonstrant Scripturæ supremam auctoritatem & infallibilitatem indubie tribuendam esse.

XLII. Objicere solent, non constare posse de scripturâ, nisi ecclesia determinet qui libri sint canonici, immo nisi ipsa aperte pronunciet, hanc esse sacram scripturam divinitus inspiratam. Hujus itaque auctoritatem ab illius auctoritate dependere, adeò ut absque eâ foret, nulla Scripturæ haberetur fides, unde dicat Augustinus: Ego non crederem Evangelio, nisi me Ecclesiæ catholicæ auctoritas commoveret. Atque hic palmarium se reperisse putant, & tantum non triumphant. Alb. Pighius, *Omnis*, inquit, quæ nunc apud nos est scripturarum auctoritas, ab Ecclesiæ auctoritate dependet necessariò. Joan. Maria Verratus: Humilior confitemur Ecclesiæ auctoritatem esse supra Euangelion. Respondeo. Homo qui cum res tibi fuerit, aut Christianus est, aut non est. Si non est, nihil apud ipsum efficies ecclesiæ tux auctoritate, neque hanc objiciendo nisi principium petieris. Servator ad Iudeos: Si scriptis Moysi non creditis, quomodo credetis verbis meis? At si ne Christi quidem verbis credunt, qui scripturis non credunt, quomodo adduci poterunt, ut credant verbis ecclesiæ? Si Christianus est, jam fidem habebit scripturæ, neque enim si non haberet, Christianus esse posset. Fides autem Christiani non innixa est auctoritati hominum, sed divinæ, nempe Spiritus sancti loquentis in scripturâ, & per ipsam

AUCTORE
TAS EC-
OLESIAE
CIRCA
SCRIPTVS
RAM.

cont. ep
fundam. c. 5

de Eccl. hi-
er. l. 1. c. 2.

Io. 5. v. ult.

Pp

seri-

scripturam adsensum ejus in corde producentis. Falsum itaque est, quod apud illum hominem auctoritas ecclesiae efficiat, ut is credat scripturæ.

XLIII. Sunt quidem externa quædam incitamenta sive argumenta, quæ ad fidem scripturæ habendam inclinare & quasi inducere possent, nempe Ipsius antiquitas & admiranda per tot secula conservatio; rerum de quibus agit, amplitudo; sermonis majestas & puritas; oraculorum veritas; miraculorum varietas; constantia martyrum; denique unanimis sibique constans consensus & concentus per omnes libros. Verum serio & pertinaci adversario non deerit, unde ostendat, hæc argumenta tanta non esse, quæ se ad adserendum cogant. Quod si hæc non poterunt persuadere, quid efficiet ecclesia, cuius si qua est auctoritas, ab ipsâ scripturâ dependeat? Solus itaque est Spiritus sanctus, qui singulari gratiâ & influxu mentem hominis movet & illustrat, ut scripturam cùm vel legit vel legi audit recipiat tamquam divinam, & infallibiliter doctrinam, quæ viam ad salutem muniat, continentem. Exemplo nobis sit Iudeus, qui N. Testamentum legendō & cum Veteri conferendo fidem ei habuit & conversus est. Quero cuiusnam ecclesiæ auctoritate is permotus Euangelio crediderit? Nonne ipsum suâ vi hominem permovit, atque ita per illud Sp. S. efficax fuit, ut adsentiretur, quia videret convenire cum Veteri, & divinam doctrinam continere? Ad eumdem modum converti posset quicunque infidelis, qui sacræ scripturæ operam daret. Concludo itaque, Spiritum sanctum propriam & proximam causam esse hujusmodi adsensus, eumque efficere, non per auctoritatem ecclesiæ, sed per ipsam scripturam lectam vel auditam.

XLIV.

XLIV. Idem demonstro ex Paulo, qui scribit ad Thessalonicenses: *Gratias agimus Deo, indefinenter, quoniam accipientes verbum auditus à nobis de Deo, exceptis illud non ut verbum hominum sed (sicut est verè) ut verbum Dei, qui etiam operatur in vobis credentibus.* Quæ ecclesia huic verbo apud Thessalonicenses, qui de ecclesiâ numquā audierant, eam auctoritatem conciliabat? Ipsum sibi hoc præstít, & quoniam Dei verbum, ideo ut Dei verbum exceptum fuit, Deusque per illud operatus est. De Galatis ad eumdem modum: *Sicut Angelum Dei exceptisti me, sicut Christum Jesum.* Unde hoc? an à commendatione ecclesiæ? Ergo Verbum, quod Paulus sonabat, se suumque instrumentum satis superque commendabat, & Galatarum animos commovebat. Hinc ulterius colligimus: Quo absente sequitur effectus, & quo præsente, si alia absint, non sequitur, id istius effectus causa non est. At, sicut modò probavimus, creditum fuit scripturæ, ubi nulla fuit ecclesiæ auctoritas sive testimonium: econtrà à multis non creditur, etsi ecclesiæ testimonium haut ignorant. Scripturam itaque recipere eive fidem habere ab ecclesiâ non dependet. Porrò, quod per se adsensum illum efficit, hoc semper & apud omnes efficit. At ipsum verbum per se, tamquam instrumentum Sp. sancti, eum efficit. Nam ostendimus habitam esse fidem verbo, ubi nulla hujus rei causa cogitari aut adsignari possit, præter virtutem & efficaciam ipsius, quam à causâ principe Sp. sancto accipit; teste Ioanne: *Spiritus est, qui testatur;* ^{1 Ep 5,6.} *Spiritum* (h. e. metonymicè, doctrinam à Spiritu traditam & profectam) *esse veritatem.*

XLV. Habet quidem ecclesia has partes & hoc officium, ut sacros libros, quantum in se est, integros & in-

corruptos conservet, & ex ijs doctrinam promat & pro-

Tim 3,15. ponat, ob quam caussam ab Apostolo nominatur τολμα

της εργασίας την αληθείας, adeoque muneris ipsius est, ut de ijs libris testimonium ferat, inquirentibus eos ostendat, & adferat hos esse ipsoſ divinitus inspiratos, qui perfectam salutis obtainendæ rationem contineant. Verum non sequitur hinc ob hoc testimonij ista credi, & non multo magis quia ipsi inspecti & perlecti fere tales esse, quales prædicantur arguant. Sic custoditi ad nos pervenere libri Aristotelis, Ciceronis, Virgilij; quos tamen ex longe alijs indicij, quam ex isthoc testimonio agnoscimus, & repudiamus suppositios, ut ut eodem testimonio subnixos. Sic si in magnâ urbe insignem quemdam Philosophum quererem, eumque à Syro aut Davo monstratum adirem, colloquerer; num ideo eum crederem esse, quem quarebam, quia Davus id dixisset, & non unicè ideo, quia qui vir esset ē sermonibus cognoscerem? Sic si tabellio epistolam principis adferat, præco mandatum proponat, num ijs ob auctoritatem tabellionis aut præconis fides habetur, & non quia subscriptio, sigillum, stylus curiae agnoscuntur? Vbi horum nihil fuerit, rejiciuntur. Interim verè dici & adfirmari poterit; absque Davo fuisse, Philosophum istum non cognovisse; absque tabellione fuisse, litteras principis non accepisse. Sic & de ecclesiâ, absque eā esset, Euangeliō non crederem: unde enim cognoscerem euangelium extare, ubi invenirem nisi in ecclesia? Ecclesiæ itaque officium & testimonium bene est caussa sine qua non, quod credam: haec autem non est nisi caussa æquivoca, & nullum realem influxum in esse caussati importat. Sic & argumentum, quod hinc deducitur, ejus generis est, de quo suprà etiam age-

bamus,

bamus, quod quidem inclinat, non autem efficit ad sensum; nisi ipsum euangelium divinā Spiritus sancti efficaciam mentem moveat, & ad se trahat. Non enim omne, quod ad probationem sive maioris illustrationem theseos adsumitur, tale est, ut ejus ad sensum efficere valeat; sic Bellarminus ipse divinitatem Christi testimonio Sibyllarum comprobatur.

Lide Christ.
c. II.

XL VI. Quantum ad dictum Augustini, laborat ille adversarium hoc dilemmate constringere. Sive credam Catholicis, sive non, numquam credam Manichaeis. Nam si credam, ipsi me monent, ut nullam fidem accommodem vobis. Si non credam, non recte facies per euangelium quod minitaris scilicet cogere ad Manichaei fidem, quia ipsi euangeli catholicis praedicantibus credidi. Item: Sive in Euangeliō legatur Manichaeus fuisse Apostolus Christi, sive non legatur, nihil te juvabit contra me, nec ego umquam hoc credam. Manifestum est, si non legatur. At si legatur, non potero Euangeliō credere. Hoc ita colligit: Quod si forte in euangeliō aliquid apertissimum de Manichaei apostolatu invenire potueris, infirmabis mihi catholicorum auctoritatem, qui jubent, ut tibi non credam. Quā infirmatā, jam nec euangeliō credere potero, quia per eos illi credideram, ita nihil apud me valebit, quicquid inde protuleris. Hac de causa, nempe ut ita aduersarium in angustias redigeret, isthac verba protulit; & quidem, ut mihi videtur, non nisi hypothesin ponit. Dicit enim: *Euangelium forte mihi ledurus es: Si ergo invenires aliquem, qui euangeliō nondum credit, quid faceres dicens tibi, non credo?* Mox subjungit: *Ego vero non crederim &c.* quibus tamen nihil innuit, nisi ecclesiam fuisse caussam sine quā non, vel certe per accidens, quā inductus ipse primum euangeliō crediderit.

DICTUM
AUGUSTIN
NI.

Pp 3

Grego-

DE AUGUSTINI DICTO.

302 Gregorius Ariminensis celebris inter Scholasticos ad
 hunc locū ab Aureolo objectum ita respondet: *Non dixit*
 prolog. q. 1. *se credere evangelio per adsensum, quē habeat ad aliquod aliud*
 a. 2. *principium, ex quo evangelium demonstretur vel probetur esse*
verum: sed solum ex auctoritate ecclesiæ tamquam ex causâ mo-
vente ipsum ad fidem evangeli. Et est quasi simile huic dicto,
quod iste vel alius dicere potuisse: Non crederem evangelio,
nisi me ecclesiæ sanctitas commoveret. Vel, si tempore Christi
dixisset aliquis credentium: Non crederem evangelio, nisi me
Christi miracula moverent. Ex quibus dictis et si fidei evan-
gelicae aliqua causa adsignaretur in talibus: non tamen aliquod
principium primum, cuius fides causa esset, ut evangelio cre-
deretur. Deinde subjungit; Ecclesiæ credendum potius
conclusionem esse, quæ ex ipsâ scripturâ deduci debeat.
Item: Si illud esset per se principium Theologici discursus, se-
quitur, quod quilibet articulus fidei theologicè concluderetur,
sic arguendo: Omne quod ecclesia jubet &c. Atqui hoc ha-
bet pro ridiculo & absurdo; quâ tamen ratione conclu-
dendi nihil nunc frequentius apud Pontificios, nempe:
Hæc conclusio est de fide, quia sub his terminis definita in con-
cilio Tridentino. Videatur modò unus Suarez in ingenti-
bus illis ad Thomam commentarijs. Atque ex hoc ipso
principio Greg. de Valentia contra divinum verbum im-
mediatè à Deo, ut suprà fassus est, profectum, frontem
& vocem ad tollere audet, eique hominum operas, h.e.
 §. 43. *versiones præferre, dum docet nullo modo autores illos audi-*
endos esse, qui adhuc post Concilium Tridentinum contendunt, posse
etiam nunc editionem vulgatam per Hebraicos & Græcos codices
tamquam per fontes (ut ajunt) in locis aliquibus, quod ad ipsam
sententiam adtinet, emendari. Non licet hoc facere. Quin
potius Græci & Hebraic codices, sicuti à nostrâ editione dissi-
deant,

deant; per nostram corrigendi & emendandi sunt: nam hanc ecclesia peculiari definitione per omnia probavit, non illos: quamquam nec illos rejecit, nisi ubi huic nostrae editioni forte contradicerent.

XLVII. Sed esto, auctoritatem ecclesiæ caussam fuisse per accidens ex parte Augustini, ut is evangelio crederet: caussam per se non fuisse satis ex ijs quæ disputavimus manifestum est; neque si hoc vellet, sibi ipsi consentiret. Compluribus enim in locis docet, evangelij auctoritatem divinam esse: ex se igitur meretur fidem, non precariam ab hominibus obtinet; nisi forte ab ijsdem suspendendæ sint promissiones omnes divinae, quæ in evangelio continentur. Nam si evangelio credo, non propter se sed propter auctoritatem ecclesiæ, promissionibus quoque evangelicis non propter se sed propter ecclesiæ auctoritatem erēdam.

XLIX. Hactenus probavimus S. scripturam eorum quæ docet aut definit ecclesia normam esse; ejusq; auctoritatem planè divinam, & absolutè summam, &c ad hanc suâ sponte configere Pontificios, cum vel judicē Pontificem, vel alias præter scripturam normas constituere laborant. Velint itaq; aut nolint, oportet eos nobiscum fateri, principium à quo prima incipiat compositio, & ad quod ultima sistat resolutio totius discursus theologici, non esse aliud præter hoc: *Quidquid Scriptura docet, divinæ & infallibilis est auctoritatis.* Hujus autem indubium adsensum ostendimus effici propriè & proximè à Spiritu sancto per ipsam scripturam lectam vel auditam & adtentè consideratam; atque hoc solùm modo intellectum divinitus motum & illuminatum adsentiri, neque posse eò adigi ullâ vel argumentorum vi, ve ecclesiæ aut Pontificis auctoritate.

XLIX.

XLIX. Expeditis ijs quæ ad normam ejusque auctoritatem pertinebant, dicebamus suprà secundò positià normâ infallibili, non opus esse extare in ecclesiâ auctoritatem aliquam judicem, certis quibusdam hominibus pluribus aut uni adligatam; sed hanc normam publicam esse, & in cuiusvis usum propositam, ut quilibet doctrinam ei convenire perspiciat, veramque à falsâ internoscat; atque ita animus suarum rerum certus adquiescat. Addebamus tamen quasdam cautelas, quas etiam negligi hoc loco nolumus. Nihil ita minus admittimus quam Credendum esse quidquid decernat Romanus Pontifex, sive intelligas, quomodo cum scriptura normâ conveniat, sive non intelligas.

L. Probamus, quod posueramus liquidis Christi *Joan. 5, 39.* verbis, quibus præcipit Judæis: ἐπειδὴ τὰς γέρας. At si scrutari debent scripturas, certè ita tractabunt, ut ipsi eas intelligent, & quid analogum ijs sit, perspiciant. Similiter Paulus ad Thessalonicenses, non modò hos aut illos, sed indifferenter omnes, πάντας δοκιμάζετε. E. nemmo ullius sententiam cœcâ fide sive obedientiâ amplecti debet. Ita quando Galatis scribens præcipit ne fidem habeant, si vel ipse vel angelus è cœlo aliud evangelium prædicet, unde agnoscent id aliud evangelium esse, nisi ipsi ad prius auditum conferant quem, inquam, judicem consulent, in cuius sententiâ adquiescent, quibus nec Pauli nec angeli auctoritas respicienda? Ad eundem modum *Ep. 4, 1.* Johannes dilectis suis filiolis scribit & præcipit: *Ne cuivis spiritui credite, sed probate spiritus, an ex Deo sint.* Ipsos vult probare spiritus; & mox subjungit, quem in probando modum servare quemque Lydium lapidem debeant adhibere, nempe verbum & doctrinam. *Ex hoc cognoscite,* inquit,

inquit, *Dei spiritum: quicumque spiritus profitetur Iesum Christum in carnem venisse ex Deo est: qui negat, ex Deo non est.*
 Suprà quoque ex Paulo docebamus, Christum dedit ecclesiæ alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios pastores & doctores, ad compactionem sanctorum in opus ministerij ad ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, ad mensuram plenæ statutæ Christi: ut non jam simus pueri fluctuantes. Pastores itaque & doctores nobis sunt dati, ut ducant & doceant nos, donec ipsi rationem eorum quæ credimus, reddere possimus, neque nos dicamus credere, quia illi sic credant: non enim hoc viri perfecti est, sed puerorum, qui pro suâ simplicitate & imbecillitate credunt quod modò ab hoc modò ab illo proponitur; itaque fluctuant & circumferuntur. Tales autem non vult nos esse Apostolus: propterea alio loco dicit: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* At spiritualis dijudicat omnia. Opponit hominem animalē h. e. eum qui non nisi ductum rationis & lumen naturæ sequitur, homini spirituali, h. e. ei qui revelatā doctrinā, quæ rationi impervia pandit, & lumine fidei innititur; atque hunc ipsum dijudicare dicit omnia. Ipse Servator promittit eos, qui voluerint facere quod Pater velit, cognituros de doctrinā suā, utrum ex Deo sit. Non itaque indigebunt Papā judice vel indice. Porro Petrus jubet nos paratos esse ad respondendum cuilibet petenti rationem ejus spei, quæ in nobis est. Ipsos igitur nos oportet intelligere & nosse scripturam, super cuius divinā veritate & firmitate spes nostra fundata est. Quam alioquin rationem reddemus? num respondebimus sic nos sperare, quia Pontifex dixit sic sperandum esse? Hoc si voluerint usset

^{1 Cor. 2, 14.}^{Joan. 7, 17.}^{1 Ep. 3, 15.}

Qq

liusset

luisset Petrus, sibi tamquam Pontifici hanc curam reser-
vasset, & jussisset auditores de cætero securos esse, se sic
infallibiliter determinare & definire. Idem quando do-
cet *benefacere adtendentes propheticō sermoni* quid aliud di-
cit, quām propheticum sermonem normam esse, ad quam
singulos adtendere & doctrinam examinare oporteat?

2 Ep. 1, 19.

Abrahamus quoque fratres epulonis ubi ad Mosen &
Lue. 16, 29. Propheta remittit, non ad judicem, sed ad normam remit-
tit. Postremò notum est exemplum Berrheensium, qui
Actor. 17, 11 quæ Paulus & Silas prædicaverant, quotidie ad Scripturas
examinabant, an hæc ita se haberent. Multi igitur credide-
runt ex eis, & Græcarum mulierum honoratarum & virorum
non pauci. Laudantur illi, quod doctrinam Apostolorum
ad normam scripturarum exegerint. Rectè igitur fece-
runt. Imitandi igitur sunt, & quidem tantò magis, quanto
nunc minoris sunt auctoritatis, qui doctrinam propo-
nunt.

LI. Invénimus itaque judicem, quem quærebamus,
nempe uniuscujusque animum, eumque in pectore te-
stem qui dictabit, an salvâ conscientiâ profiteri possit, hoc
ad normam S. scripturæ quadrare, aut non quadrare. Sit
proposita thesis controversa, de quâ ad normam nostram,
h. e. è communi eoque primo (quod suprà ostendebamus)
principio disputandum juxta formam & leges dis-
putandi. Alteruter eò redigetur, ut aut deficiat in pro-
bando; aut neget ea, quæ manifestò vera sunt; sive ad
absurdum deducatur; sive contradicat sibi metipsi. Ha-
bet tum ille suum judicem, judicem inquam, quo major
alius dari non potest, nempe semet ipsum, cui si cedere
nolit, quanti quæso faciet auctoritatē vel ecclesiæ, vel
mille Pontificum? Potest ecclesia publicè demonstra-
re &c

re & declarare, quod sententia hominis à sancta doctrinā, & normā fidei discrepet; ut ipse hoc agnoscat & fateatur, facere suā auctoritate non potest, nī normæ auctoritas eum percellat, & quantum à normā declinārit Spiritu sancto per suum organum operante perspiciat. Quotus enim quisque antiquorum hæreticorum à primitivâ etiam & florente ecclesiâ damnatorum resipuit aut errorem agnovit? Quantumcumque itaque auctoritas illa judicis, quam tantopere efflagitant Pontificij, præstare umquam posset; tantumdem per se præstat ipsa norma, à quocumque legitimè adhibetur, adstante ope Spiritus sancti.

LII. Opponunt autem odiosè controversiam, quæ nobis est cum Calvinianis, de genuino sensu verborum sacramentalium, cuius exitū non inveniamus, quia utriusque licet sacram scripturam tamquam normam agnoscamus, judice tamen destituamur. Respondeo. Superiore disputatione demonstravimus Calvinianos non posse in scripturis suam expositionem, quā corpus figuram corporis interpretantur, invenire. Deficiunt igitur in probatione. Deinde apertâ fronte cum scripturâ pugnare evicimus. Tum geminâ contradictione Calvini doctrinam laborare ostendimus. Si hæc homines non convincunt, quid obstinatam istam pertinaciam expugnabit? Expediat Pontifex suam auctoritatem, & quid possit, periclitetur. Sed, ajunt, non agnoscent Pontificis auctoritatem; quod si facerent, salva res foret. Iterum dico, quot eorum qui eam agnoverunt nihilominus à sententiâ abduci non potuere, qui Pontifici quām suæ sententiæ renunciare maluerunt? Etsi igitur esset judiciaria illa, quam fingunt potestas, nihil tamen apud hos

Qq 2

homi-

308 homines efficeret. Qui rei evidentiâ, S. scripturæ & propriæ conscientiæ testimonio convicti non cedunt, Deo relinquendi sunt.

LIII. Instabunt fortè Scripturam quam nos regulam facimus à quovis, sicut volumus, adhiberi non posse; à quovis suâ linguâ loquentem non posse intelligi (obscuritatem & insufficientiam disputatione quartâ removimus) immò à compluribus quacumque linguâ loquatur ne quidem legi posse. Verùm suprà respondimus, et si hoc totum ex accidenti sit, Deum tamen hujusmodi hominibus providisse, & donum interpretandi in ecclesiâ extare voluisse, ut versionibus uti possint, qui fontes non intelligunt; dedit etiam pastores & doctores, qui vivâ voce reliquos erudiant, eoqué rem deducant, ut fundamenta suæ fidei in sacris litteris & è sacris litteris agnoscant & intelligent. Neque verò ab omnibus bullæ & decreta Pontificum legi intelligive possunt. Quid Germanis fiet latinam linguam ignorantibus? Immò quid fiet callentibus, quum Servus ille servorum plerumque barbarè, sèpius ambiguè loqui consueverit? Certe novis hic interpretibus & judicibus opus erit.

LIV. Libet quoque hoc loco interrogare, num facilius sit S. scripturam, quæ Christianis in promtu & familiaris est, evolvere & consulere, an Romam excurrere, & sententiam Pontificis exquirere, quem sèpe, ut de Paulo II scribit Platina, die dormientem ac noctu vigilantem, adtractantemque gemmas & margaritas, adire difficile sit? Nec visu facilis nec dictu adfabilis fuerit Clemens IX bello Ferrarensi, aut Paulus V bello Veneto implicitus. Quid autem fiet hominibus, apud quos se Pontificij in patentissimis Orientis & Occidentis regionibus ecclesiam fun-

fundare jactitant? Expedita mehercules inde via est Rōmam, ut exortā de relligione controversiā sacrum Burghesij os consulant, responsum credo suis apud inferos relaturi. Quām rectē retorqueri hīc possit argumentum à providentiā divinā desumtum! Nam egregiè prospectum fuerit hominibus de necessarijs ad salutem, tali judice constituto. Omitto nunc, quōd Pontifex, quia homo est & saepe nequam homo, studio partium duci & errare possit, adeoque satis frequenter & turpiter erraverit. Quid verò fieret si maniā vel phrenesi corriperetur? Num homo mente captus de relligione judicabit, & ea quæ fani & eruditī expedire non possunt, insanus expediet? Excellens testimonium, cui innitatur fides. Sed ista, Deo juvante, sequente disputatione pluribus persequemur. Hactenus autem demonstratum, I quōd in ecclesiā sit infallibilis norma, cuius auctoritas in se summa & divina; II quōd hujus normæ usus nulli certo judici adligatus, sed omnibus permisus, ut quisque de suā relligione & fide, Spiritu sancto per verbum operante, certus sit: & tantum quoque de Ecclesiā militante in genere dictum esto.

LV. Sequitur ut particulatim, quæ ad ecclesiam pertinent, consideremus, sive singula ejus membra lustremus. Sanctus enim Spiritus ecclesiam CORPUS in sacris litteris appellare solet, propter aptissimam analogiam, quæ est inter fideles qui in ecclesiā & inter membra unius corporis. Rom. xii, 4 & 5. 1 Cor. x, 17. xii, v. 25, 26, 27. Eph. iv, 12 & 16. Et secundum analogiam, quæ est inter caput & corpus, Christumque & ecclesiam, Christum ecclesiæ CAPUT vocat. ἡπις ὅστι τὸ σῶμα ἀντεῖ, τὸ πλήρωμα τὸ πάντα ἐπὶ τοῖς πληρυμένοις. Eph. i, 22

Qq 3 & 23.

310 DE CAPITE ECCLESIA.

& 23. ὁ χριστὸς κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας. καὶ ἀυτὸς ὁ θεός σωτήρ τῆς σοματοῦ. Eph. v, 25. Coloss. i, 18. Caput, ex quo totum corpus per commissuras & connexus suppeditatum & compactum, augescit Dei augmento. Coloss. ii, 19. Nempe quemadmodum se habet caput ad corpus: sic in 4 cap. ad se Christus ad ecclesiam. Quemadmodum ait Theophilactus, *Spiritus per nervos à cerebro ipso descendentes sensum omnibus membris, ad proportionem cuique impertitur: sic Christus nostris animis, qui illius sunt membra, sua dona suppeditat.*

LVI. Hanc convenientissimam analogiam, quâ Sp. sanctus, ut ita dicam, delectatus fuit, vitiant & obscurant, qui ecclesiæ præter Christum aliud caput attribuunt. Monstrosum enim corpus est, quod duo capita habet, et si unum, ut ipsi loquuntur, primarium sit, alterum secundarium. Neque si ita se res haberet, commodè aut convenienter ecclesia corpus adpellari potuisset, neque vero adpellata roties fuisset. Num itaque visibili capite sive primatu ecclesiæ opus; num Petrus ab ipso Christo in caput ecclesiæ datus; num is Romæ sedem collocarit; num qui hodie Romæ regnat Pontifex legitimus Petri successor haberi debeat, & denique summam ecclesiasticam jurisdictionem obtineat, in negotijs religionis unus præsideat, & auctoritate infallibili, sive humanâ, ut vocant, divinitus infusa polleat: de hisce inquam omnibus sequente disputatione inquiremus.

DISPU-